



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

117. An circumstantia durationis temporis sit in confessione aperienda? Et an quando fuerit nimia explicari oporteat? Et an si daretur casus in quo pœnitens in memoria haberet omnes delectationes v. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

circumstantiam inductionis confitendam, cum illa sit parata; & moraliter loquendo, talis non est causa inductionis; tenetur tamen confiteri peccatum aditionis magæ, vel magi: & ita etiam mihi videtur.

RESOL. CXVI.

An si quis peccauit cum femina, sufficiat de hoc se accusare non addendo se illam inuitasse?
Et an fatenda sit circumstantia scandali, si femina virum paratum sollicitasset?
Et an necessario fatenda sit inductio facta extraordinariis precibus, & æquivalentibus violentia morali?
Et an numerus feminarum, quibus cum adulterium, v. g. fuit commissum, sit in confessione explicandus? Ex part. 5. tr. 1. 3. & Misc. 1. Ref. 5.

Sup. hoc sup. §. 1. **C**asus est frequentissimus, & negatiuam legem doctrinam Ref. 13. & aliarum Ref. & 55. eius primæ not.
 §. 1. **C**asus est frequentissimus, & negatiuam sententiam docet Lorca in 2. 2. D. Thom. *quest. 43. art. 8. sect. 3. disp. 5. 6. num. 6.* vbi sic ait: Scandalum actiuum quando non est speciale peccatum, est circumstantia, & aded aggrauans, vt nimis auget peccatum, & sit in confessione explicanda; qui enim esset causa peccati alterius, non satisfaceret integritati confessionis, si solum diceret: Peccaui cum quodam femina, aut fui particeps homicidij, quod quidam commisit, sed exprimere tenetur, sui causa peccati alterius, & induxi illum ad peccandum. Neque quisquam concessit hanc circumstantiam taceri posse, neque tunc, & sine temeritate concederetur. Siue ergo scandalum actiuum indirecte volitum sit circumstantia mutans speciem, siue non, est in confessione explicandum. Ita ille. Vnde ex his sequitur, * numerum feminarum, quibuscum adulterium, v. g. fuit commissum, esse explicandum, eo quod peccatum scandali sit distinctum personas ad fornicationem inuitare.

* Sup. hoc numero lege doctrinam Ref. primæ post præcitantam.

2. Sed aduersus illum insurgit vterque Sanchez, Thomas & Ioannes, hic in *select. disp. 1. n. 2. 4. ille in summa tom. 1. lib. 1. cap. 6. n. 1. 4.* vbi docet, quod licet crimen scandali sit femina inducere; opus tamen non est illud in confessione explicare, quia dum fateatur vir fornicationem commississe, communiter intelligitur, vt ego etiam alibi notauimus, femina sollicitasse; sicut è contra dicendum est fatendam esse circumstantiam scandali, si femina virum paratum sollicitasset, quia in fornicatione femina ea circumstantia non exprimitur, femina enim communiter non sollicitant, sed viri, vnde hi non tenentur circumstantiam scandali aperire, illæ autem sic. Ad illationem verò contrariæ sententiæ respondeo non esse grauius crimen decies eandem feminam inducere, quam sigillatim decem feminas, cum in vtroque casu inductio solum denaria sit. Certum est tamen inductionem speciem mutare, & necessariò esse confitendam, quando inductio facta est extraordinariis precibus, & æquivalentibus violentiæ morali, vt docet Salas in p. 2. tom. 2. tract. 1. 3. disp. 5. sect. 1. 5. num. 1. 3. 3.

2. Non desinam tamen hic adnotare celebrem doctrinam, quam ex Valquez docet Ludouicus Maratius in D. Thom. tom. 3. tract. de sacrament. Penitentia disp. 27. sect. 4. n. 8. vbi sic ait: Eum qui vel verbo, vel facto causa est alteri peccandi, vel causam esse peccandi secum, vel non secum si secundum, debere confiteri hanc causalitatis circumstantiam, quia est peccatum ab eo; quod committit ipse numero distinctum; sin autem primum distinguendum rursus est: vel enim peccatum, ad quod secum committendum alterum inuitat, tale est sua natura, vt non nisi à duobus committi possit, cuiusmodi fornicatio est; vel tale non est; si secundum, illa inuitatio de-

claranda est; quia peccatum numero diuersum est ab eo, quod committit ille, qui alium ad peccandum inuitat; si primum, sententia probabilis est, & in præiudicia, quam sequitur Valquez hic ad art. 1. quest. 91. dub. 4. non esse necessarium illam inuitationem declarare, quod idem numero peccatum sit cum eo, ad quod inuitat: quanquam probabile etiam sit, & fortè probabilius multo illam erga peccatum persone ad peccandum inuitatæ causalitatem esse diuersum numero peccatum, ac proinde in confessione declarandum. Ita Maratius.

RESOL. CXVII.

An circumstantia durationis temporis sit in confessione aperienda?
Et an quando fuerit nimia explicari oporteat?
Et an si daretur casus, in quo penitens in memoria haberet omnes delectationes v. g. morosas, quas per annum habuit, teneatur aperire talem durationem temporis, vel sufficiat dicere, toties morosè delectatus sum?
Et an, si quis haberet rem cum concubina tota nocte, teneatur explicare hanc circumstantiam, & grauitatem, vel sufficiat confiteri numerum peccatorum, videlicet semel, vel bis fornicatus sum? Ex part. 1. tract. 7. Ref. 39.

§. 1. **R**espondeo negatiuè cum Zerola in præiudicia *cap. 12. g. 15.* Valquez in 3. p. tom. 4. p. 91. art. 1. dub. 3. n. 36. contra Canum, Sotum, & alios, vbi sic asserit. [Ex qua ratione Nauarrus docet, temporis durationem non esse necessariam explicandam, in quantum aggrauans est; docet tamen, & bene, quando fuerit nimia explicari oportere: quia forsan videtur vnus peccatum, & plura fuerunt, quorum numerus, cum explicari commodè non possit, oportet durationem explicare.] Ita ille.
 2. Vnde temporis duratio in confessione aperienda est, non quatenus est circumstantia aggrauans, sed quatenus illam explicando penitens manifestat eodem modo, quo potest numerum peccatorum necessariò in confessione explicandorum. Et idè, si daretur casus, in quo penitens in memoria haberet omnes delectationes, v. g. morosas, quas per annum habuit, non tenetur in confessione aperire talem durationem temporis, sed sufficeret dicere: Toties morosè delectatus sum: quidquid in contrarium afferant, Henriquez lib. 3. c. 5. n. 5. & Coninch de Sacram. disp. 7. dub. 3. n. 5. cum aliis Et idè etiam putat Zerola, vbi supra, quod si quis haberet rem cum concubina tota nocte, non tenetur exprimere hanc grauitatem, sed sufficit confiteri numerum peccatorum, videlicet: Semel, vel bis fornicatus sum. Vide aliqua hic addenda in tertia huius Operis Parte, Tract. 4. de Sacram. * 67.

RESOL. CXVIII.

An qui tota nocte dormiuit cum muliere teneatur in confessione explicare hanc circumstantiam, vel sufficiat confiteri numerum copularum? Ex part. 5. tr. 1. 4. Misc. 2. Ref. 10.

§. 1. **N**on sufficere numerum copularum exprimere ex Nauarro docet Alphonsus de Vega in spec. Paroch. to. 1. cap. 11. §. 26. n. 168. vbi sic ait: *Aduerte Nauarro que puede auer tanto desorden, y tanta torpeza en estas obras, que sea necesario declararlo en la confession, por ser circunstancia agravante. Pone el exemplo en un hombre, que no naua*